QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. FEBRVARII.

M. MICHAELE DE LA VIGNE, Doctore Medico, Moderatore.

728

An Caput magnum paruo præſtantius?



IRABILE ad ſtuporem humani corporis opificium, auream illam completam & abſolutam ſuis numeris microcoſmi fabricam, pulcherrimum, temperatiſſimum, ſaluberrimum ἐν τοῖς ὑστερογενίοις nobiliſſimæ formæ domicilium, ἀπαίδευτος natura tuetur ac regit partium operâ & miniſterio, quas primarias & nobiles appellamus. Pars omnis, qualis quantáque eſt, functionis obeundæ non ſui cauſâ commendatur. Nulla ſit videndi, loquendi, progrediendi neceſſitas, fruſtrà & oculos, & linguam, & crura otioſa circumferimus ac baiulamus, velut ἄχθος ἀλλότριον, telluris inutile pondus. Hinc ſcilicet membrorum dignitas æſtimanda. Actionum præſtantiâ, varietate, firmitate ſi quod præcellit atque eminet, præſtantius eſt, & ſingulari naturæ prouidentiâ curáque ab externis iniurijs vindicatum. Hepar τ' ἰκμαλέον, ſpiritus naturalis origo & ſcaturigo, ſanguinis παντοσόφου parens ac ſoboles, in quo τὸ ὀρεκτικὸν καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, à quo iuges illi & ſalutiferi ſuccorum nutritiorum riui, tanquam purpurei fontes aut aquæductus manant, & quoquouerſùm deriuantur, imo ventre conditum deliteſcit, multa carne multóque adipe, velut aggere, circumſeptum; vnde vniuerſam corporis familiam numeroſâ venarum, quarum principium eſt, propagine alit alluítque.



OR muſculorum carne ſolidius, naturæ humanæ αἱ πηγαὶ καὶ οἱ ποταμοί, humidi primigenij nullâ reparabilis arte focus & penates, τὸ ποίημα χειρώνακτος ἀγαθοῦ, in quo πῦρ σύντροφον καὶ ἔμφυτον radices agit; vnius facultatis vitalis & τοῦ θυμοειδοῦς, pulſûs, reſpirationis, tranſpirationis cauſa, in medio ventre ſitum læuáque in parte mamillæ ſaliens, oſſium vndique circunſtantium ordine cingitur ac vallatur. Vnde fugientem ocyùs Euro partium viuacitatem, ſpiritus vitę autores, fautores, ac miniſtros perenni, benefico, viuifico influxu recreat, reficit, inſtaurat. A cerebro nerui omnes ad motum, ad ſenſum (quo vno animalium natura definitur) deſtinati, vt & ſpinæ medulla, ſubſtantiæ cerebri ἀποβλάστημα & propago. Sed parti nobiliſſimæ, quam oportebat ἀσφαλεῖ φρουρεῖσθαι περιβόλῳ, firmiora munimenta & propugnacula ſolers natura quæſiuit: non cutem, aut carneam molem, non diſtantes breuibus interuallis coſtas aliquot, ſed vt κράνος τι, caluariam vtrinque læuem, nullibi τῆς ὁμοχροίας aſperam, niſi ad περιοστὸν μέρος: duram vbique, ſi diploëm excipias, in qua non carunculæ, ſed venarum alimentum ſuppeditantium myriades. Illîc cerebrum prudens opifex collocauit, atque in eo veluti ſolio τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικόν. Illic diuinitatis æmula ſubſtantia, peculiares homini ſenſus alteratione & dignotione conſtantis, iudicij, intelligentiæ functiones edit.



APVT habent & cerebrum cuncta quæ ſanguinem. An & propter cerebrum datum animalibus caput? caue credas. Propter oculos edito ac ſublimi loco indigentes, cerebrum in capite tanquam acropoli & ſpeculâ collocatum. Reliqui ſenſus propter cerebrum, ceu quidam ὑπηρέται καὶ δορυφόροι magni regis. Cerebrum frigidi & glutinoſi μυξόπολις, conſiſtentiâ mollius quàm nerui, in perpetuo motu poſitum, quouis ambiente cœlo calidius, anticâ parte vberius, & quatuor cauitatibus inſigne. Mirum quod per anteriores duas, in quibus odorabilium ſenſus, cerebrum ſpiritum ducat reddátque. Ex hoc veluti promptuario & penu ſpiritus animalis (animæ quidem non πρῶτον οἰκητήριον, multò minus ἡ οὐσία, ſed præcipuum inſtrumentum) ad principes operationes exerendas exercendas. Quid plura? tam acri ſpeculatione dignum viſcus hoc ἀδενοειδὲς, vt liceat aliquando vel ex hoc vno proprias corporis affectiones & totius temperiem indagare, æſtimare. Maximè verò ex ſtructurâ, magnitudine, conformatione: quæ ſi ἄμεμπτα & naturæ conſentanea fuerint, ſatis arguunt, eſſe γενναῖα τὰ θεμέλια totius corporis. At quî fieri poteſt, vt iſta medici non fugiant oculos, cùm non ſint ἐν ἐνδήλῳ & altè lateant? Spectandum caput, cuius ferè cœlaturam ceruicis & reliquarum partium forma conſequitur.



APITIS explorandi ſtructuram ſex oſſa componunt, non denſa illa quidem aut tenuia, ſed magnâ ſui parte craſſa & rara, vno verbo σηραγγώδη, quorum alia non facilè coaleſcunt & carne paucâ veſtiuntur, vt ſincipitis, alia firmiſſima, vt quæ extant ad frontem & τὸ ἰνίον, cui ſubjacet cerebellum diuerſæ à cerebro ſubſtantiæ. Quæ ad tempora ſunt, firma, infirma. Vulneratis periculum creat ſumma tenuitas, muſculus, φλὲψ κοίλη καὶ ἰσχυρὴ illâc perrepens. Cranij compagem nectunt ſuturæ, ſenſum ac iudicium medici non rarò ludificantes, quia ſunt ῥαφοειδεῖς, vt patet in Autonomo. Πολλαὶ δ' ἀρραφέες κεφαλαὶ πάγεν ἀνθρώποισιν, inquit ille. Rarum id, neque optandum. Quò ſuturæ plures, eò firmior capitis valetudo. Eius autem figura εὔρυθμος & concinna globum προμήκη refert vtrinque ad latera leuiter compreſſum: moderata eſt, conſueta & naturalis magnitudo ac moles. His dotibus optimum caput inſigniri amat. Ac ſanè quod eſt eiuſmodi, actionum mirâ integritate & præſtantiâ pollet; vt & maiuſculum, quale Pericli fuit, exceſſu carens nec monſtro ſimile, quod habet εὐσχημοσύνην, validâ ceruice nititur, acutè videt: quippe id vtilis materiæ copiam deſignat, & τῆς ἰσχύος δυνάμεως robur ac vires: Hinc megalocephali κρατεραύχενες, oſſibus reliquis probè conſtituti, neruoſum genus omne εὐτραφές τε καὶ εὔτονον habent, cerebrum & ſpinæ medullam ἐν τῇ εὐρυχωρίᾳ, maiores, ampliores cerebri ventriculos, copioſiores ſpiritus animales, ſumma certáque illæſæ facultatis argumenta, à quibus nihil niſi magnum & memorabile ſperare aut expectare licet: ſenſum exquiſitum, alacres motus, expeditam actionum principum libertatem.



LITER conformatis deteriora omnia. Macrocephalos, queis capitis cœlum labefactatum eſt, ſiue τῇ φύσει, ſiue τῷ νόμῳ, faſcijs nempe ac vinculis τὸ σφαιροειδὲς κεφαλῆς perierit, vrget στενοχωρία cerebri, quod, vt thoracis vtrúmque viſcus ἀθλιπτον eſſe oportet. Quanquam interdùm caput oblongum placet, dum natura plerìſque alijs notis probatum reliquerit robur formatricis. Ὀξυκέφαλοι, qualis ille apud Poëtam: φοξὸς ἔην κεφαλήν, in quibus alterutra vel vtraque capitis prominentia deletur, aut vltra, quàm par eſt, producitur: quò longiùs à ſolitâ & naturali formâ receſſerunt, eò ignauiores, ſtupidiores, ſtolidiores, & ad regias miniſtráſque functiones minùs idonei. Neque verò microcephali beatiores. Caput exiguum improbæ conſtitutionis cerebri proprium & perpetuum indicium. In quo peſſimè affecta τὰ κατὰ τὸν τράχηλον, vt ceruicis ac vertebrarum tenuitas, neruoſæ ſubſtantiæ imbecillitas, minor cerebri moles, cauitatum anguſtia, ſpirituum paucitas, arguunt, non ſolùm ἔνδειαν τῆς ὕλης (quod vnum eſſet tolerabile) ſed & facultatis ἀρρωστίαν, quod eſt inemendabile ac μοχθηρὸν διὰ παντός. Atque vt mittam imminutas eſſe in microcephalis læſáſque magnâ ex parte manantes ab infirmo principio facultates, parùm valida, rata firmáque τὰ τῆς διανοίας, angit eiuſmodi capita excrementi, cùm tenuis & halituoſi, tùm craſſioris, quod βλέννα dicitur, ſuppreſſio, quam morborum omnis generis & periculoſorum fœtura comitatur.

Ergo Caput magnum paruo præſtantius. 174

Proponebat Lutetiæ PETRVS HOMMETZ, Cæſarisburgenſis. A. R. H. M. DC. XXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciſcus Pijart.	*M. Nicolaus Regnier.*	*M. Nicolaus Pietre.*
M. Petrus Girardet	*M. Ioannes de Bourges.*	*M. Iacobus Couſinot.*
M. Antonius Robin.	*M. Ludouicus Robillart.*	*M. Petrus Seguin*, Primarius Reginæ Med. P. R.